

ad quaestionem respondemus, quod testes habiles in testamentis sint, qui olim habebant ius comparandi in comitiis: e contra testes in testamentis esse non possint, qui olim comparere non potuerunt in comitiis, conf. b. THOMASII cit. disput. de sensu legis Decemularis testamentariae §. II. seqq.

## VI.

Iuxta haec igitur testes testamentarii esse non possunt impuberes, et furiosi, VLPIANVS *Fragm. XX.* 7. mulieres, serui, peregrini, surdi, muti, prodigi, seu quibus interdictum est bonis, PAVLVS *recept. sentent. L. III.* Tit. IV. §. 12. L. 18. pr. qui test. fac. poss. Denique quos leges iubent improbos et intestabiles, de singulis vid. §. 6. *Instit. de testam. ord. l. 21 Cod de testam.* Hi enim omnes ius non habebant olim suffragia in comitiis ferendi. Haud dubie etenim in comitiis comparere non poterant impuberes, quia in his deliberabatur de negotiis grauioribus, quae cum infantibus et impu- beribus propter iudicii infirmitatem procul dubio non communicabantur. Comparere itidem non poterant furiosi, quia et hi ob iudicii defectum ad deliberandum erant inhabiles; non mulieres, peregrini et servi, quia non habebant ius ciuitatis Romanae, solis autem ciui- bus Romanis datum erat suffragia in comitiis ferre; non surdi aut muti; surdi, quia, quae gererentur, audire non poterant; muti, quia votum non dicere; non pro- digi, quia lex XII. Tabb. prodigum et furiosum aequi- parauit, conf. b. THOMASIVM cit. *Dissert.* §. 43. Non denique in comitiis adesse poterant, quos leges iubent improbos et intestabiles, quia improbi, et qui grauius quid delinquissent, a comitiis excludebantur,

B

vid.